



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Roma Sancta sive Benedicti XIII. Pontificis Maximi &  
Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E.  
Cardinalium Viva Virtutum Imago Æri & literis in  
perennaturam Virtutum memoriam incisa**

**Conlin, Johann Rudolph**

**Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXXVI**

**VD18 10209328**

No. LIII. Alvarus Cienfuegos Societatis Jesu Hispanus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72633)

# ALVARUS CIENFUEGOS SOCIETATIS JESU HISPANUS.



Alvarus è Societate Jesu tit. S. Bartholomæi in Insula Cardinalis Cienfuegos Hispanus Episcopus Catanensis natus est An. 1667 die 27. Febr. ex Nobilissimâ Asturiensibus inter Comitum de Cienfuegos Familiâ. Ex Historiâ constat, Christianorum reliquias, dominantibus per Hispaniam Mauris, in Montes Asturiæ, ceu tutissimum receptaculum confugisse; inde novo vigore recepto, prodiisse, & novum per Hispanias regnum stabilivisse, quod brevi potentiâ tantùm invaluit, ut sol potentissimo huic regno nunquam occidere dicatur; quandoquidem Hispanus Monarcha una manu Orientem, alterâ Occidentem contingit. Ex hoc igitur Asturiæ regno, Christianitatis per-fugio, Alvarus Cienfuegos prodiit, inde suæ gloriæ vexilla explicuit, & Illustrissimæ Familiæ suæ gemâ & decus esse coepit: certè virtus iterum nobilitavit, quem natura ex nobilissima progenitum profapiâ voluit; nam cum ad Illustrissimam hanc Domum Comites de Miranda, Penharanda, Pennalva, de val de Carzana, Tallu, Eschallacte, & Ferrara Originem referant, Purpuræ tamen honorem primus omnium Alvarus in eam intulit, quam solida Virtus nobilissimo Viro dedit. Societatem Jesu idem ingressus, ut in eâ virtutum Scholâ ad viram perfectam perveniret, brevi in omnium oculis admirandus apparuit; certè quotiescunque cathedram docturus ascendebat, fundentem oracula auditores stupebant. Compostellæ Philosophiam cum publicè traderet, nihil videbatur in naturâ tam reconditum, quod sublime ejus ingenium non erueret: inde Salamancam missus, in famosissimâ illa Universitate, quam humanæ Sapientiæ apicem Hispania credit, orbis experitur, Theologiam Mysticam scientiâ tam sublimi edocuit, ut cum cœlestia loqueretur, Cœlo ipsi, & nobilissimo Objecto Deo affixus videretur. Præterea in eo summa vis dicendi erat, & quisquis perorantem audiebat, eo eloquentiæ veluti torrente abreptus, captum se sentiebat. Brevi occasio se dederat, ut quantus in oculis Hispaniæ apparebat, tantus in Europæ propemodum universæ conspectu, ad publica traductus negotia evaderet. Nam Superiorum indultu in Lusitaniam progressus, illius fœderis fundamenta jacuit, quod paulò post inter Carolum III. Hispaniarum Regem & Petrum II. Regem Portugalliæ & Algarbiæ istum erupit, cujus summa ea erat, ut in Hispaniæ Solio Lusitanæ opibus Carolus reponeretur. Res etiam, Mantuâ Carpetanorum bis à fœderatis occupata procedebat, si eadem mens fociis, eadem in pacificationibus fidei constantia, quæ in bello strenuitas, aut non aliud superæ illius providentiæ consilium fuisset. Satis constat, quòd diu nutans Anglia Carolinas per Hispaniam victorias, ceu Austriæ triumphos timeret ipsamet, persecuta non fuerit. In infelici illo prælio ad Allmanzam die 25. Apr. An. 1707. commisso, quòd Hispanicam Monarchiam, pene in manibus habitam, Carolo extorserat, pro 29395. Anglis, quos ex condicito mitti in Hispaniam oportebat, non nisi 13759. accurato eorum calculo inito, in acie comparuere; quæ eacunque fuerint, superuam certè consilium intervenire visum, ut duo Potentissimi Orbis Monarchæ

Carq;

Carolus VI. & Philippus V. qui internecinis bellis invicem concurrebant, de se  
 Ipsi triumphos, longè quàm in campo illustriores ederent; quandoquidem, cum  
 hæc scribo, amicabilebus fœderibus inter se coeuntes, magnos triumphos Or-  
 thodoxo orbi promittunt, cujus in se exemplum generosâ illâ, & verè Regia re-  
 conciliatione primi omnium dederunt. Toto illo tempore intermedio, quo  
 Mars in Regno Hispanico tumultus dabat, gnayus Caroli III. in Aulâ Lusitana  
 Minister Alvarus Cienfuegos exstiterat; & quantum alii in arenâ Martis bellicis  
 factis inclarescebant, tantum ille prudentibus consiliis togatus Minister res Ca-  
 rolinas strenuè propugnabat. Ut etiam firmiora starent animorum fœdera, in  
 id operam suam ut plurimum impendebat, ut Maria Anna Austriaca, Leopoldi  
 Magni Romanorum Imperatoris, & Eleonoræ Magdalenæ Theresiæ Palatinæ fi-  
 lia, cum Joanne V. Portugaliæ Rege matrimonii fœderibus unâ conjungeretur;  
 de quo quidem matrimonio Lusitania sibi eò magis gratulatur, quòd V. Regi  
 Masculi, spes longa Regni futuri, videlicet Petrus An. 1712. Emanuel An. 1714.  
 Carolus ann. 1716. iterum Petrus ann. 1717. & Alexander Franciscus ann. 1723.  
 inde prodierint. Post pacem Ultrajectinam Alvarus Cienfuegos Viennam Re-  
 giam Austriæ Urbem, Mariæ Annæ Reginæ nomine mittebatur, ut apud Cæ-  
 sarum Maximum, longissimâ fide & Sapientiâ commendatissimus vicarias foro-  
 ris vices adimpleret. Et tunc Aquilinis oculis ut plurimum probabatur, cum  
 Rex adhuc Carolus eximium habuisset. Statim Catanæ Episcopum denomina-  
 bat. Urbs est Siciliæ, cui Æthna imminet, sed agrum Cataneum non tam  
 corrumpi cineribus Æthnæ ferventibus, quos eructat, quàm fœcundum & fera-  
 cem effici, Strabo author est; radices etiam producere, quibus ad eò pinguescant  
 oves, ut rumpantur, & quadragesimo circiter aut L. die sanguis ex auribus eis de-  
 trahendus sit. Æthna est, religiosis cineribus æstuans Eminentissimus Alvarus  
 Cienfuegos, Episcopus Catanensis. Agrum suum Cataneum longè feracissimum  
 reddit, Divini Verbi semen largiter jaciendo: Ovibus pascua pingua cum præbeat,  
 solum quod noxium, refecat. Posthæc pro Sacrà Purpurâ Viro de Augustissimâ  
 domo sua tam benè merita obtinenda, Cæsar in Aulâ Pontificis omnimodè con-  
 nitabatur; & quamvis tertius esset, qui ex Patribus Societatis Jesu ad Purpuræ hono-  
 rem advocabatur, attamen ubi redundabant merita, ibi etiam manus Sanctissimi ab-  
 breviari non poterat. Creabatur die 30. Sept. ann. 1720. Causam à sanctissimo Pa-  
 tre luculenter deductam, amicus lector ex Brevi Apostolico, ad Eminentissimum  
 Cardinalem Viennam in Austriam transmissis, sufficienter intelliget. Verba ita se  
 habebant. Clemens Papa XI. Dilecte Fili noster salutem &c. Etsi diu hæsitave-  
 rimus, num charissimi in Christo Filii nostri Caroli Hispaniarum Catholici, nec non  
 Hungariæ ac Bohemiæ Regis Illustris in Romanorum Imperatorem Electo precibus  
 annuere deberemus, te dilecte fili noster, inter S.R.E. Cardinales adscribendo; scire  
 tamen te volumus, nostram ejusmodi hæsitacionem non inde quidem profectam fuisse,  
 quòd vereremur, ne iis præditus esses virtutum meritis, quæ amplissimæ huic digni-  
 tati usquequaque essent paria; siquidem exploratum nobis erat, non minus doctri-  
 næ tuæ præstantiam, quàm morum tuorum integritatem te eodem sublimi in Eccle-  
 sia Dei gradu maximè dignum constituere; hæc autem universa hæsitatio ex eo dun-  
 taxat metu, processit, quem animo conceperamus; ne novo hoc exemplo, quod  
 brevi annorum spatio, ut benè nosti, jam tertium est, tametsi prædecessorum nostro-  
 rum tempore longè rariora exstiterint, nimium relaxaretur laudatissimum Soc. Jesu  
 Institutum, ad cujus scilicet prosperam felicemque conservationem juxta enixam  
 sancti illius Fundatoris mentem, plurimum interesse dignoscitur, ut qui in eâ Re-  
 gularem professionem expressè emisissent, quemadmodum tu illam emisisti, ab ad-  
 implenda sponsione Deo facta per solemne Votum, nullam dignitatem Ecclesiasti-  
 cam acceptandi extra eandem societatem, minimè retrahantur; quod ipsum probè

te etiam agnovisse & probasse magna cum voluptate audivimus, cum omnes à te, & sanè non semel Christianæ humilitatis conatus adhibitos fuisse percipimus, ut benevolam Cæsaris animum à proposito dinoveres, objectaque voti à te emissi Religione, Cardinalatum declinares; at ubi certiores novissimè facti sumus, plurimos & sanè maximos ex tuâ ad Cardinalatum hujusmodi promotione, non tam Apostolicæ sedî, quam Ecclesiæ Universæ obvencuros fructus, adeoque nullum inde oriri posse exemplum, quod in perniciem præfati Instituti, eidem Apostolicæ Sedî arctiori cœteroquin vinculo addicti, trahi unquam valeat, quavis abjecta cunctatione in proximo habito Consistorio nostro Secreto te in Apostolicum Senatuum illicò coaptavimus, tibi que insuper, ut huic tuæ inter Cardinales cooptationi consensum sine mora præstares, præceptum adjecimus, omnino confisi, fore, ut eandem eximiarum virtutum, quæ tibi tantam isthic æstimationem comparârunt, ope atque præsidio celari, felicique votorum nostrorum, quæ planè justissima sunt, implemento suffragari maximè possis: Præcipuum interim insigne collatæ tibi excelsæ in Ecclesia Dignitatis, Purpureum scilicet Biretum ad te deferet isthuc adveniens dilectus Filius Petrus Franciscus Bussius Cubicularius noster honorarius, tum ob præclara sua animi decora, tum etiam ob arctam cum Dilecto Filio nostro Joanne Baptista tit. S. Mariæ in Ara Cœli Presbytero, S. R. E. Cardinali Bussio nuncupato sanguinis conjunctionem nobis apprime commendatus; quem proinde ut congruis humanitatis ac benevolentia significationibus excipias, vehementer à te petimus; tibi que dilectæ Fili noster Pontificiæ Charitatis pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romæ die 8. Octobris 1720. Non distulit Cæsaris Augusta manus sibi pretioso Capiti Sacrum Biretum imponere. Actus magna celebritate peragebatur VIII. idus Decembr. in Ecclesiâ P. P. Augustinianorum Discalceatorum: Solemne officium ad aram peragebat Reverendissimus & Celsissimus Episcopus Viennensis Colonitschius. Sub eo sacer vertex coronabatur. Inde Hymnus Ambrosianus latissimo Musices concentu decantabatur. Sequebantur gratulationes aulicæ. Enimverò Viennenses æquè ac Hispanici, quotquot aderant proceres, eo honore, Alvaro habito, in lætitiâ & applausus effundebantur; nam causa omnibus jucundissima erat, quæ Cæsareos in eum favores cumulabat. Fides, Integritas, Patria derelicta, Carolus Fatus, jurata Austriæ studia, Viennensium gaudia augebant. Clemente XI. Pontifice Maximo demortuo, ad sacrum Conclave Alvaro eundem erat, ad quod summam Integritatem, quæ à Religiosissimo Viro expectari poterat, afferebat. Postea de suâ sancti Bartholomæi Ecclesia possessionem capiebat. Ejus sancti Corpus Vincentius Maria Ursinus (nunc Benedictus XIII.) temporum & bellorum injuriâ deperditum, summâ adhibitâ industriâ reinvenit; Hinc non defuit, qui Triplicem Tyram glorioso inventori vaticinaretur; & quem Vincentius Maria è catacumbis erutum invenit, eum in Sacras Aras collocatum eximio cultu Alvarus prosequitur; dignissimus proinde, qui à tam salubri Sydere Benigno non minùs influxu beetur. Certè Imperator Eminentissimo Cardinale Michaelè Friderico Althanno ad Vicariam Regni Neapolitani Administrationem Anno 1722. digressus, Alvarum dignissimum judicabat, qui Cæsarearum negotiationum summus Administer & Interpres in Aulâ Romanâ surrogaretur, ubi is tantâ nominis sui gloriâ, & Solidissimæ Sapientia famâ inclarescit, ut Hunc Horatium (nam Arte etiam Pieriâ vix magis insignem dicunt) Roma, ac Hispania: Lusitania, Viennæ & Catanea, sua Societas, & Sacer imprimis Romanorum Senatorum Ordo sibi vindicent.